

1594

His nuntiis solliciti Patres, quid, si Turcæ cum classe in Adriaticum penetrare vellent, agendum esset, sedulo consultabant. Hinc ne, exortis dissidiis, pax, quæ per tot annos Reipublicæ cum Amurathe intercedebat, perturbaretur, vere ri: inde secum volutare, quam a Reipublicæ rationibus alienum esset, quam Veneto indignum nomine, sinus illius custodiam negligere, quem majores immensis sumptibus, laboribus, sanguine, legitimo sibi jure asciverant, ad posterosque transmiserant: cum præsertim Italiæ quoque mirum in modum interesset, si Turcæ vel Senniam, vel propinquæ regionis oppida occuparent. Itaque vel a classe in Adriaticum mittenda Turcas avertere, vel, ni impetrare possint, obſtendum rebantur. Marco itaque Venerio injunctum, omni officiorum genere ab iis consiliis revocare Amurathis præconsultores nitatur: *iis pacem, quæ diu inter utramque gentem coaluerat, perturbatum iri: illorum hominum inventa hæc esse, qui inter Principes simultatum semina, tandem in aper tas inimicitias ac bellum eruptura, serere nitantur: an Adriatici sinus jura possessionemque majorum sanguine partam Senatus defereret, cui civem cum classe præficeret, atque in eo defendendo prope immensam auri vim quotannis effunderet?* Adriaticum sinum Reipublicæ veluti domum censi: qui se invita in eum penetraverit, pro hoste habituram. His atque aliis, quam periculi plenum Assanis Cicalæ consilium sit, Venerius ostendit. Verum frustra adnixus; cum nullis vel rationibus vel suasionibus flectere Turcas posset, de iis, quæ egerat, quam celerrime Senatum certiorem facit.

Tum Patres, utilitati dignitatique publicæ consulendum rati, Senatus decreto ad classem augendam viginti quinque triremium præfectos diligunt; ut maritimus imperator crearetur, decernunt. Jacobus Fuscarenus, qui superiori bello præclaram in eo munere patriæ operam navaverat, cum Patrum prærogativa, majoribus comitiis secundo creatus. Remigum delectus habetur, opificum collegiis in id vel homines, vel pecuniam conferentibus; cunctaque summo studio, ut opportune concenderet, ac reliquæ se classi jungeret, curantur, quæ in universum sexaginta triremium numerum exple tura erat. Ea ab Adriatici ingressu Cicalam averti posse

haud

*Senatus de-
cretum de
Turcis se in
Adriaticum
inforentibus
repollendis.*

*Jacobus
Fuscarenus
classis im-
perator eli-
gitur.*